



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De haeretico apud Trecas exusto, qui se dicebat esse Spiritum sanctum
cap. 23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Vix sunt duo anni elapsi, quòd quidam diabolo plenus apud Precas se esse Spiritum sanctum publicè prædicabat, cuius insaniam populi nõ sufferentes, in crate posuerunt, & copioso igne circumposito, in carbonem redegerunt. APOLLONIVS: Puto vitam illorum multum execrabile esse, quorum tam foeda est doctrina. CÆSARIVS: Vt amplius detesteris hæreticorum sectas, vnum tibi de illorum vita subjungam exemplum.

Tempore Frederici Imperatoris, cù Lucius Papa fecisset Veronæ ciuitate Lombardiæ moram, multis tam ecclesiarum prælatis, quàm regni principibus ibidem congregatis, & esset ibi Godescalcus monachus noster tunc maioris ecclesiæ in Colonia canonicus, cum fratre suo Euerhardo canonico Sancti Gereonis, hospes illorum, penè singulis noctibus cum vxore & filia de domo propria egressus est. Quod cùm considerasset Euerhardus, interrogauit nescio quem illorum, quòd irent, vel quid agerent? Cui cùm responsum esset, veni & vide, secutus est illos in domum quandam subterraneam, amplam satis, in quâ multis ex vtroque sexu congregatis, quidam hæresiarcha sermonem blasphemijs plenum cunctis tacentibus fecit, per quem vitam & mores illorum instituit. Deinde extincta candela, vnusquisque sibi proximam inuasit, nullam habentes differentiam inter legitimam & solutam, inter viduam & virginem, inter dominam & ancillam, & quod horribilius est, inter sororem & filiam. Euerhardus verò hæc videns, utpote iuuenis luxuriosus atque vanus, simulans se discipulum, hospitis sui filiæ, vel alteri cuiuslibet puellæ in sermone se coniunxit, cum qua extincta candela peccauit. Cumque hæc actitasset penè annum dimidium, magister cunctis audientibus ait: Iuuenis iste tã studiosè frequentat auditorium nostrum, citò habilis erit ad docendum alios. Hoc verbo audito non amplius intravit, & sicut mihi prædictus Godescalcus, cù illum

*Hæretico
rũ vita
foeda est.*